Verba ſcām ſuſannam.
mea auribuſ percipe domi
ne intellige clamorem meum in-
tende uoci oratōiſ mee. Pš. Quo
niaꝫ ad te orabo domine mane et
audies voceꝫ meam. Collecta.
Preſta queſumus omni
potens deus: vt qui ſe
affligendo carne ab alimen-
tis abſtinentꝰ: ſectando iuſti-
ciam a culpa ieiunent. Per do.
In Lctō danielis ꝓphete.
diebꝰ illis: Erat vir in ba-
bilone: et nomen eius ioach
im. Et accepit vxorem nomi
ne ſuſannā filiā helchie: pul-
chram nimis ⁊ timentem do
minum. Parentes enim illiꝰ
cum eſſent iuſti: erudierunt
filiam ſuam ſecundum legeꝫ
moyſi. Erat autem ioachim
diues valde: et erat ei pome
rium vicinum domꝰ ſue. Et
ad ipſum confluebant iudei:
eo qđ eſſet honorabilior om-
nium. Et conſtituti ſunt duo
ſenes iudices in anno illo: de
quibus locutus eſt dominus
quia egreſſa eſt iniquitas de
babilone. a ſenibus iudicibꝰ
qui videbantur regere popu
lum. Iſti frequentabant do-
mum ioachim: et veniebant
ad eos omnes qui habebant
iudicia. Cum autem populꝰ
reuertiſſet ꝑ meridieꝫ: ingre-
diebatꝰ ſuſanna. et deambu-
labat in pomerio viri ſui. Et
videbāt eā ſenes quotidie in
gredientē et deambulantem
et exarſerunt in cōcupiſcētiā
eiꝰ. Et euerterūt ſenſuꝫ ſuū:
et declinauerūt oculos ſuos
vt nō viderēt celū. neqꝫ recor
darentꝰ iudicioꝝ iuſtoꝝ. Fa-
ctum eſt aūt cuꝫ obſeruarent
diem aptū quādo eā poſſent
inuenire ſolā: ingreſſa eſt ali
quādo ſicꝰ heri et nudiꝰ tertiꝰ
cum duabꝰ ſolis puellis. vo-
luit qꝫ lauari ī pomerio. Eſtꝰ
quippe erat. Et non erat ibi
quiſqꝫ: ꝓter duos ſeneſ abſcō
ditos. Dixit ꝗ puellis. Affer
te mihi oleū et ſmigmata: et
oſtia pomerij claudite vt la-
uer. Cuꝫ aūt egreſſe eſſēt pu
elle: ſurrexerūt duo ſenes et
accurrerūt ad eā et dixerunt.
Ecce oſtia pomerij clauſa ſūt
et nemo nos videt: et in con
cupiſcētia tui ſumꝰ. Quā ob
rem aſſentire nobis: et cōmi
ſcere nobiſcū. Qđ ſi nolueris
dicemus teſtimoniū cōtra te
quod fuerit tecuꝫ iuuenis. et

ob hanc cauſaz emiſeris pu-
ellas a te. Ingemuit ſuſāna:
et ait. Anguſtie mihi ſūt vn
diq;. Si enī hoc egero moꝛs
mihi eſt: ſi autem non egero
non effugiaz manus veſtras
Sed meliꝰ mihi eſt abſq; ope
re incidere in manꝰ veſtras:
quam peccare in conſpectu do
mini. et exclamauit voce ma
gna ſuſanna: exclamauerūt
autē et ſenes aduerſus eam.
Cum aūt audiſſent clamoꝛē
in pomerio famuli domus ir-
ruerunt p̄ poſticū vt viderēt
quidnaz eſſet. Poſtq̄ aūt ſe-
nes locuti ſūt: erubuerūt ſer
ui vehemēter. qꝛ nūq̄ dictus
fuerat ſermo huiuſcemodi de
ſuſanna. Et facta eſt dies cra
ſtina. Cūq; veniſſet pp̄ls ad
virum eiꝰ ioachim: venerūt ⁊
duo p̄ſbiteri pleni iniqua co-
gitatōe aduerſus ſuſannam
vt interficerēt eam. Et dixe-
runt coraz pp̄lo. Mittite ad
ſuſannā filiā helchie: vxoꝛez
ioachim. Et ſtatim miſerunt
Et venit cū parētibꝫ ⁊ filijs ⁊
vniuerſis cognatis ſuis. Fle
bant ḡ ſui: et oīs qui noue-
rant eaz. Conſurgentes aūt
duo preſbiteri in medio pp̄li:

Erat enim coꝛ eius fiduciaz
habens in dño. Et dixerunt
preſbiteri. Cum deambulare
muſ in pomerio ſoli: ingreſſa
eſt hec cū duabꝫ ſolis puellis
et clauſit oſtia pomerij. et di-
miſit puellaſ. Venit q; ad eā
adoleſcens qui erat abſcōdi-
tus. et concubuit cū ea. Por-
ro nos cū eſſemꝰ in angulo po
merij: vidētes iniquitatē cu-
currimus ad eoſ: et vidimus
eos pariť cōmiſceri. Et illuz
quidē nō quiuimꝰ cōp̄hen-
dere quia foꝛtioꝛ nobis erat:
et aperto oſtio exiliuit. Hanc
autē cū app̄hendiſſemꝰ. inť
rogauimus quiſnam eſſet iu
uenis: et noluit indicare no-
bis. Huius rei teſtes ſumus
Credidit eis mltitudo quaſi
ſenibus populi ⁊ iudicibꝫ: et
condemnauerūt eaz ad moꝛ-
tem. Exclamauit autem vo-
ce magna ſuſāna ⁊ dixit. De
us eterne qui abſconditoꝛuz
es cognitoꝛ. qui noſti omnia
anteq̄ fiant: tu ſcis quoniaz
falſum contra me tulerūt te-
ſtimonium. Et ecce moꝛioꝛ:
cum nichil hoꝛū fecerim que
iſti malicioſe compoſuerīt ad
uerſum me. Exaudiuit autē

dominus vocē eius. Cumq̄
duceretur ad mortem: ſuſci-
tauit dominus ſpiritum pue
ri iunioris cui nomen daniel
Et exclamauit voce magna.
Mundus ego ſuꝫ a ſanguīe
huius. Et conuerſus omnis
populus ad euꝫ: dixit. Quis
eſt ſermo iſte quē locutus es
Qui cum ſtaret in medio eo
rum: dixit. Sic fatui filij iſrl'
non iudicātes neq̄ quod ve-
rum eſt cognoſcentes: condē
naſtis filiam iſrael. Reuerti-
mini ad iudicium: quia fal-
ſum teſtimoniuꝫ locuti ſunt
aduerſum eam. Reuerſus eſt
ergo populus cū feſtinatōe:
et dixit ad eos daniel. Sepa-
rate eos abinuicem procul:
et diiudicabo eos. Cum ergo
diuiſi eſſent alter ab altero:
vocauit vnum de eis et dixit
ad eum. Inueterate dierum
malorum: nunc venerunt pec
cata tua que operabaris prius.
iudicās iudicia iniuſta. inno-
centeſ opprimens et dimittēs
noxios. dicente domino. inno
centem et iuſtum non interfi
cies. Nunc ergo ſi vidiſti eā
dic ſub qua arbore vidris eos
colloquētes ſibi. Qui ait. ſub
cino. Dixit autem daniel. Re
cte mentitus es in caput tuū
Ecce eniꝫ angelus domini ac
cepta ſentētia ab eo: ſcindet
te mediuꝫ. Et amoto eo: iuſ-
ſit venire alium. Et dixit ei.
Semen canaan et non iuda
ſpecies decepit te. et concupi
ſcētia ſubuertit cor tuū. Sic
faciebatis filiabꝰ iſrael: et il-
le timentes loquebantur vo
bis. Sed non filia iuda: ſuſti
nuit iniquitatē veſtraꝫ. Nūc
ergo dic mihi ſub qua arbore
comprehenderis eos loquen
tes ſibi. Qui ait. Sub prino.
Dixit autem ei daniel. Recte
mentitus es et tu in caput tu
um. Manet enim angelus
domini gladiuꝫ habens vt ſe
cet te medium: et interficiat
vos. Exclamauit itaq̄ oīnis
cetus voce magna: et benedix-
erunt deo qui ſaluat ſperāteſ
in ſe. Et conſurrexerūt aduer
ſus duos preſbiteros: conui-
cerat enim eos daniel ex ore
ſuo falſum dixiſſe teſtimoni-
um. Fecerunt q̄ eis ſicut ma
le egerant aduerſus proximū
et interfecerunt eos. Et ſal-
uatus eſt ſanguis innoxius:
in die illa. Graduale. Si am-

bulem in medio umbre mortis n̄ timebo mala quoniam tu mecum es domine. ℣. Virga tua et baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

IN illo tempore: Scd̄m iohannem. Perrexit ieſus in montem oliueti: et diluculo iterum venit in templum. Et omnis populus venit ad eū: et ſedens docebat eos. Adducunt autem ſcribe et phariſei mulierem in adulterio deprehenſam: et ſtatuerūt eam in medio et dixerunt ei. Magiſter: hec mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autē: moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hec autem dicebant temptātes eū: vt poſſent accuſare eum. Jeſus autem inclinans ſe deorſum: digito ſcribebat in terra Cum autē perſeuerarent interrogantes eum: erexit ſe et dixit eis. Qui ſine peccato ē veſtrum: primus in illam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinans: ſcribebat in terra. Audientes autē vnus poſt vnum exibant: incipientes a ſenioribus. Et remanſit ſolus: et mulier in medio ſtans Erigens autē ſe ieſus: dixit ei. Mulier: vbi ſunt qui te accuſabāt? Nemo te cōdemnauit? Que dixit. Nemo domine. Dixit autē ieſus. Nec ego te condemnabo. Vade: et amplius iam noli peccare. Off.

Greſſus meos dirige domine ſecundum eloquium tuum ut non dominetur omnis iniuſticia domine.

Secreta.

COncede queſumus omnipotens deus. vt huius ſacrificij munus oblatum. fragilitatē noſtram ab omni malo purget ſemp et muniat. Per dominum noſtrum. Comunio.

Nemo te condemnauit mulier nemo domine nec ego te condemnabo iam amplius noli peccare.

Poſt comunio.

QVeſumus omnipotens deus vt inter eius membra numeremur: cuius corpori communicamus et ſanguini. Per eundem dominum noſtrum ieſū chriſtum. Super populum.

PRetende domine fidelibus tuis dexteram celeſtis auxilij: vt et te tota corde perquirāt: et que digne poſtulant conſequi mereantur. Per dominum noſtrū ieſum chri.